

dolo & culpa venditoris accidit, in eo venditor securus est, quæ ratio fundamentum invenit, in *L. 5. §. 2. ff. commod.* quemadmodum verò periculum ad emptorem pertinet ita & commodum. Nam & commodum ejus esse debet, cujus periculum est. *d. §. 3. Inst. de Empt. & Vend. L. 10. ff. de Reg. Jur.* Neque obstat quod venditor, qui contractus fidem fregit, ex empto actione conventus, quanti emptoris interest præstare cogatur, *L. 6. C. de her. vend.* Inde enim non sequitur, quod actio revocatoria non possit locum habere contra emptorem secundum, *Conf. Gail. Lib. 2. obs. 55. num. 11.*

## Th. XXI.

Traditioni itaque non causæ sive titulo effectus ille cum tribuatur efficiatque cum potiorum cui res tradita ex emptione & venditione, utut alter prius emerit, idem obtinebit, si duobus eadem res sit donata & alteri tradita, ut is potior quoque habeatur, cui priori tradita. Neque hac ratione inter titulum onerosum & lucrativum potest fieri differentia, cum non titulus, sed traditio consideretur, *L. 15. Cod. de R. V.* Imo videntur Imperatores à donatione ad emptionem argumentari, dum inquirunt: cum & si causa donationis utrique dominium vindicetis  
E cum,